

volumina dispersas, & bonorum librorum characteres, uno quasi oculi obtutu dignoscere addiscite. Quod vinum vendibile sit, ex hedera appensa, quam opus Rothscholtzianum exhibet, jam intelligere potestis.

Quod vero ad ipsum hunc morem attinet, qui singulis rei typographicae artificibus suum peculiare insigne tribuit, licebit nunc istius originem & rationem breviter describere, primasque lineas ducere, historiae aliis forte uberius imposterum deducendae. Sperare simul jubemus eruditos, cum non modo Vir venerandus, M. GÖTTFRIDVS BALTHASAR SCHARFFIVS, Senior ad SS. Trinitatis aedem, quae Suidnicii in Silesia floret, pluribus scriptis clarissimus, jam per aliquot annos dissertationem, & copia signorum, & multiplici observationum ad historiam literariam, theologiam, philosophiam moralem, artemque emblematicam pertinentium apparatus divitem, *de signis typographorum*, prelo paratam fervet; sed & perquam reverendus vir, M. IOHANNES CHRISTIANVS KOCH de insignibus typographicis, qualem nuper de eruditorum quorundam insignibus dedit, peculiarem commentarium meditetur, ingeniis harum rerum cupidis plenius mox satisfactum iri.

Inquirimus statim in tempus, quo typographi ejusmodi signis uti coeperint. Vbi facile intelligimus, prima, quae extant, typorum fusilium specimina nobis attentius examinanda esse. Sed horum consideratio quae in vis non orbem oculis edocebit, licet non statim cum ipsius typographiae ortu, atamen haud diu post eam inventam, insignia etiam typographica libris appingi coepta esse. Equidem si B. IO. SAVBERTVM nostrum audiamus, paullo longius